

ALMÆ DEI GENITRICI
SVMMAE VRBIVM TVTELÆ
HOSTIVM EXPVGNATRICE, FVGATRICE
VIRGINI MARIÆ
PRAESENTISSIMO
IN MALIS REMEDIO,
IN BONIS PRÆSIDIO,

Quando ob hostes, post crudelissimam
urbis Thenensis direptionem, fugatos,
illi ab Eximio ac Reuerendo admo-
dum Patre & Magistro Fr. BARTHO-
LOMÆO DE LOS RIOS & ALARCON
Ord. Er. S. P. AVGVSTINI S. T. D.
Duacensi, ac Sereniss. FERDINANDI
Hispaniarum Infantis Concionatore
Statua, B. MARIA DE REMEDIIS
nuncupata, in spem melioris fortunæ
dictata fuit, anno M. DC. XXXVII.

S I quis barathro tartari infandam magis,
Magisque diram credidit in auras luem
Prodisse, quàm, quæ fronte pietatis suos,
Quà cardo cæli, quà patent mundi plagæ,

[p. 233] 5 *Furit furores hæresis; videat Thenas,
Thenas cruenti (prò dolor!) Thenas (pro-
brum!)*
*Nimis pudendi cernat, & nimium feri
Theatra ludi. Crede posteritas, nihil
Tot retrò sæclis egit, infami minas*
10 *Tabo cruentas ore despumans truci
Scelerata Rabies: Hæresis numquam sui
Documenta dederat ingenI: gladios, flagra,
Ignem, secures, pectines, uncos, rotas,
Et mille mortis genera dum semper noui*
15 *Escam furoris inuenit ferax malum,
Proludit istis; dumque de strage horridâ
Prospectat orbem, quâ Angliæ & quâ Gallie
Plus parte mediâ triste contextit solum,
Thenis minatur: cinere debebat tuo,*
20 *Tuo innocenti cinere describi trucidis
Imago monstri. Nil queror, ne quod putes
Tot inter unum fortè compertum mala,
Cui verba luctus, vel pares queat dolor
Reperisse lacrymas: potiùs ex imâ intuens*
25 *Cælos abysso, corde contrito, Deum
Obtestor, & quæ viscera parentis gerit
Fecunda cæli numine, ut tandem ferat
Remedia tantis, totque (nam potest) malis.
An fallor? an spes certa prostratam erigit*
30 *Vrbem salutis? O Thenæ! Misera quidem,
Sed in miseriis aliquid optandum tuis
Vel ipse cerno. Plaude, nam tantis malis*

Remedia fert maiora, quæ cælo intuens
 Tuos dolores Virgo, miserescens ait:
 35 Cruditatis fecerit Thenas meas
 Hæresis arenam? quidquid ignotum hactenus
 Rabies timebat ipsa, quod nondum furor
 Excogitarat facinus, innocuo meus
 Luerit cruore populus? haud feram probrum.
 40 Estis furoris impij exemplum Thenæ,
 Eritis fauoris. Odiâ, quid valeant, docet
 Armata flammis Hæresis; quid amor ferens
 Remedia possit, ipsa laxato sinu
 Peragrata Campos, dona diffundens manu,
 45 Si vis, docebo: præeat, atque hostem fuget
 Meus ille FERDINANDVS, accedit, benè est;
 Vidit, fugauit. Quidnam adhuc trepida paves?
 Reditum extimescis? perdita an lugens bona?
 Remedia totis visne tibi Riuis fluant,
 50 Fluuiisque totis? iam DE LOS RIOS venit;
 Assurge læta; qualis, en qualis venit.
 Securitatis arrha palladium meum
 Manibus refulget: nominis certum pij
 Omen tuebor ipsa; nec tantis malis
 55 Remedia deerunt ulla, tu tantum accipe,
 Quo par honore munus oblatum mei
 Tibi fauoris: accipe, & rursus novæ
 Augmenta sumens cresce; sit bustum vetus
 Thenis Thenarum; quisquis hanc urbem coles,
 60 Hoc æuiternis scribat hæsurum notis
 In corde Pietas. Tota quòd perijt semel,

[p. 235] *Fuit ut doceret, Hæresis quodnam abditum
Sub fronte blandâ gestet, & quando potest,
Spargat venenum. Sed Thenis rursus novæ
65 Thenæ renatæ, certa sunt opis meæ.
Monumenta, iamque grata posteritas sciet
REMEDIA me maiora supplicibus dare,
Quàm ferre possit vulnera hostilis furor.*

Ponebat suæ in Virginem pietatis ac in exi-
mium Patrem obseruantix symbolum
FRANCISCVS VANDEN ENDEN.



Source:

Bartholomeus de los Rios y Alarcon, *Phoenix Thenensis e cineribus rediuiuus*, Antverpiæ: Balthasare Moretus, 1637, pp. 232-235.

Copy used for transcription:

Library of the St. Stefanusklooster Gent (St Stephen's Monastery, Ghent), sig. G.BA.103.

Remarks:

The accent grave on the letter q, sometimes used in the original text, could not be reproduced.

Quotation:

You can quote freely from this text, but it would be appreciated if due reference was made to the site and its author:

F. Mertens (ed.), *Online documents regarding Franciscus van den Enden* (<http://users.pandora.be/fvde/>)